



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xxxviii [i.e. i]. Unio est quid distinctum à materiâ & formâ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)



mortuum respectu vivi æquivocè corpus, non præcisè in ratione corporis organici, sed in ratione instrumenti proximè apti ad actiones vitales eliciendas, sic enim connotat animam.

## DISSERTATIO QUINTA

### *De Unione.*

I. **U**NIO est quid distinctum à materia & forma; in productione enim hominis datur actio generativa distincta à productione materiæ & formæ, quæ creatur hujus actionis assignandus est terminus, hic alius esse nō potest, quàm unio. Præterea implicat, rem transire à denominatione reali ad denominationem realem priori contradictoriam; V. G. materiam & animam D. Petri, quæ jam denominantur non unita, transire ad denominationem contrariam & denominari unita, quin pereat, vel de novo ens aliquod producat, nullum autem hęc ens perit; ergo aliquod de novo producit, & hoc aliud non est, quàm unio. Demum possunt materia & forma existere & non uniri, seu separari ab unione. Nequè approximatio est  
condi-



conditio , ut materia & forma uniantur se-  
ipsis , sive ut existat unio identificata ma-  
teriæ & formæ , quia non est conditio , ut  
existat materia & forma , adeoque nec est  
cōditio alicujus cum materia & forma iden-  
tificati ; neque dici potest, esse conditionem,  
non ut unio identificata materiæ & formæ  
existat secundum entitatem, sed ut existat se-  
cundum formalitatem , id est , ut actu exer-  
ceat officium uniendo ; Nam unio secundum  
physicam suam entitatem, & unio secundum  
formalitatem seu exercitium uniendo non  
distinguantur ; cum unio sit ipsum actuale  
exercitium uniendo. Multò minùs consistit  
unio in ista approximatione seu intima præ-  
sentia formæ cum materia ; aliàs compo-  
situm substantiale constitueretur per acci-  
dentia , qualia sunt istæ duæ ubicationes  
materiæ & formæ ; imò motum semper  
esset aliud & aliud ; cum ad quemcunq̃  
motum istæ ubicationes mutantur ; neque  
posset cōpositum unum cum alio penetrari ,  
quin continuò unius materia cum alterius  
forma uniretur, adeoq̃ Christi corpus pene-  
trans lapidē sepulchralem, illi unitum fuisset.  
Jam verò si dicatur , præter approximationē



localem requiri approximationem virtutis: an illa erit quid distinctum à materia & forma, an non? Si dicatur, requiri præterea dispositiones ad formam, jam accidentia ingrediuntur constitutionem totius substantialis; conditio enim esse non possunt, ut materia & forma uniantur se ipsis, sicut conditio esse non possunt, ut existat materia & forma. Si dicatur, requiri præterea, ne alia materia vel forma cum priori materia & forma existat in eodem loco, jam negatio vel absentia alterius formæ vel materiæ ingreditur compositum substantiale, & non possunt duo composita penetrari, quin hoc ipso singulorum pereat unio. Si requiratur præterea dependentia formæ à materia, aut exercitium actionis vitalis in materia, jam requiritur iterum accidens ad constitutionem substantiæ, & aliquid, quod omnibus compositis non est commune.

II. Non est tamen unio formaliter ipsa eductio formæ materialis è subjecto; hæc enim eductio est accidens & prior naturâ formæ; unio autem, utpote ingrediens rationem totius substantialis, debet esse substantia, &

suo